



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

V. De commutatione, dispensatione, & interpretatione iuramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

17. *Verba ne aliqua honestari possunt, ut iuramenta non sint, licet communiter iuramenta habeantur?* Pluribus Sanchez huic quæstioni satisfacit, consulendus. Interea nonnulla verba huiuscemodi à iuramento libero, *In mea conscientia*, cum intendo animum ipsum exponere, iuramentum est: cum solum cognitionem, minime. *Per salutem meam, Per meam vitam, sic Deus me adiuuet, &c.* Si intendo animum ipsum periculo addicere, iuramentum est: si non animum, sed exteriorem viuendi rationem, ut est *cibus, potus, cultus, aër, &c.* non est ex Saa & aliorum sensu iuramentum. Alios loquendi modos adinuenit desiderium non peierandi, scilicet, *Possum iurare per Deum, per Christum: iurabo per Deum; si iuro per Deum, quare mihi fidem non praestas?* Qui quidem loquendi modi licet imperitis, vel incautis iuramenta videantur, verè, cum nihil affirmetur, sed suspensa sit oratio, iuramenta non sunt.

C A P V T V.

De commutatione, dispensatione, & interpretatione iuramenti.

18. **P**otest ne iuramenti obligatio auferri? Variis equidem modis. Primò, irritatione, cum iuramentum auferitur ex parte materiae, ob dominatiuam potestatem v. g. parentis, mariti. Secundò, Dispensatione, cum eius obligatio soluitur per superioris facultatem. Tertio, Condonatione, siue relaxatione, cum obligatio à creditore remittitur. Et quidem Promissorium potest irritari, nec in huiusmodi irritatione causa requiritur ad valorem.

19. *Quinam irritandi iuramenta obtinent potestatem?* Papa irritat ex materia ipsi subiecta, ut etiam laicus Princeps, nec non parentes re alia & personalia filiorum iuramenta, domini senorum, tutores pupillorum in quibusdam casibus. Directè absque materiae mutatione probabile est, irritari non posse. Homini factum per condonationem auferitur, ut dixi etiam si intuitu Dei factum sit: & certè huiusmodi condonatio peti potest ab eo, in cuius utilitatem iuramentum factum esset. *Mutuo iurantes per modum reciproca promissionis, in mutuam utilitatem facti:* Remittere ad inuicem possunt; si intuitu diuini seruitij non possunt. *Quid si vnus ex pietate in Deum, alter verò solo respectu humani contractus iurauerint?*

vint? Remittēte vno, v.g. paupere promissa à diuite sponsalia propter Deum, diues liberatur.

20. *Potest ne in promissorio dispensari? Et quisnam dispensandi facultate fungitur?* Potest quidem per subtractionem materia, qua dispensans vice Dei debitum remittit, vel commutat in aliud. Et quidem Episcopi ordinariam potestatem in dispensando habent, præterquam in referuata.

21. *Num iuramenta homini præstita absque eius consensu relaxantur?* Minimè, nisi cum turpitudine creditoris esset, tunc enim, eo inuito, relaxari possunt.

22. *Qua autem Deo soli sunt facta?* Papa cuncta relaxat, Episcopus suorum non referuata subditorum. Ciuilis potestas non relaxat, neque dispensat hoc modo. Etiam periurus dispensari potest, siue periurium occultam sit, siue publicum.

23. *Requiritur ne causa relaxationi?* Maximè, & sola turpido ex parte iuramentum exigentis, satis est; vt etiam graui cum iniuria quilibet metus.

C A P V T I V.

De Blasphemia, & Maledictis.

24. *Quid est Blasphemia?* Laus Dei, quæ in secundo Præcepto continetur, manifestatio quædam est alicuius excellentiæ cum affectu voluntatis. Laudi opponitur Blasphemia, verbum scilicet maledictionis, conuitij, vel contumeliæ in Deum. *Non omnis Blasphemia contra fidem.* Non; quia nec omnis cum interiore assensu falsi.

S. I.
Blasphemia.

25. *Quæduplex illa?* Multiplex, tum ratione verbi quod in Deum profertur; tum ratione formæ loquendi; tum ratione obiecti, in quod contumeliosum verbum effertur; tum denique ratione grauitatis.

26. *Si quando effertur in Sanctos erit ne Blasphemia?* Erit planè, si simul de Deo cogiteretur intentione illi detrahendi; vel proferatur in Sanctum sicuti in amicum, vel ministrum Dei: sed si tantùm consideretur excellentia sanctitatis, in qua talis respectus fundatur; tunc enim erit tantum imperfectè, & indirectè Blasphemia.

27. *Quodnam peccatum Blasphemia?* Ex suo genere peccatum mortale & quidem inter grauissima, grauius tamen odium Dei, hæresis, & desperatio, Distinguitur eius malitia